



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1868**

De B. Martino Confessore Ex Ordine S. Augustini Vercellis In Italia Sylloge.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)



A agrotabat, ut vix cibum capere valeret, nil medicis aut medicinis proficientibus, B. Jacobo vovit, quod, si ejus meritissalutem assequeretur, linguam argenteam in miraculi fidem illi offerret; mane itaque sequenti incolumem se usqueaquecomperiens, linguam argenteam fieri fecit et ad sepulcrum B. Jacobi, ut voverat, devote obtulit. Hydropicus quidam B. Jacobo vovens, quod, si ejus precibus sanus efficeretur, Missam ad Dei et sui honorem celebrare faceret, atque ad ejus sepulcrum cereum unius libræ offerret, infra dies quatuor incolumitatem recepit votumque suum quam cito adimplevit.

41 Alius quidam ad sepulcrum B. Jacobi imaginem obtulit, in qua scriptum hujusmodi legitur: Ego Joannes per quatuor annos morbo Gallico laboravi, atque hoc in loco vovens ad plenum convalui meritis et intercessione B. Jacobi.

42 Non solum in creaturis rationalibus, sed etiam irrationalibus hujus Viri Dei virtus effulsit: nam Fr. Stephanus, conversus Ordinis Prædicatorum, cum Bononiam mulæ insidens advenisset, ut prædicatorem quemdam Placentiam h secum deduceret, mula antedicta ita laborare cepit, ut ad terram se prosternens moritura videretur; advocatur quidam, qui hujuscemodi mederi consueverat, qui mulam intuens, eandem mortuam indicavit; tristatur frater vehementer atque ad sepulcrum Viri Dei accedens, ut jumentis sanitatem conferat, devotius exposcit, expleta oratione, mulam visitans eandem jam pene mortuam aspexit. Verum

eadem nocte dormientem fratrem vox quædam excitavit, dicens: Surge, frater Stephane, et pabulum mulæ affer, qui illico surgens jumentum incolume adinvenit. Sicque B. Jacobo gratias referens, Placentiam lætus repedavit. Quam plura itidem Dominus Servi sui meritis præmonstravit mirifica, quæ, si enarrare vellem, altius volumen exresceret; igitur huic Vitæ finem imponens, omnes hortor, quatenus tanti Viri vestigia sectari conentur, sicque ad caelestem patriam ejus suffragantibus meritis conscendant.

A. Fr. AMBROSINO DE SOCCINO.

## ANNOTATA.

a Genua urbs est Liguriæ in Gallia Cisalpina et ejusdem nominis Reipublicæ caput.

b Vox hæc valetudinarium significat.

c Urbs Italiæ archiepiscopalis et ducatus Mediolanensis primaria.

d Id est, justitiæ exercitio præfecti.

e Ita auctor calculorum valetudinem significat.

f Urbs perampla et culta Italiæ, reipublicæ cognominis ab ea dictæ caput.

g Urbs Italiæ ampla, in Longobardia, ejusdem nominis ducatus primaria et episcopalis, inter Scuttenam et Secciam fluvios.

h Urbs Italiæ in Longobardia episcopalis, ejusdem nominis ducatus caput sub dominio Parmensis ducis, ad Padi et Trebiæ confluentem.

## DE B. MARTINO CONFESSORE

EX ORDINE S. AUGUSTINI

VERCELLIS IN ITALIA

## SYLLOGE

C

ANNO CIRCA  
MDIII  
Beatus, qui  
centum annis  
ante Urbani  
VIII decreta,  
Servi Dei

Vercellis, episcopali in Pedemontano Italiæ principatu, quæ jam plus semel memorata apud nos fuit, civitate, natus est ac denatus, uti inter scriptores omnes, de re locutos, convenit, beatus hic propositus ex Ordine S. Augustini Confessor. Hunc hodierna, qua ex allegandis obiit, die Operi nostro inserendum, decessores nostri, ad xx Maii diem in Prætermisssis sermonem de Jacobino seu Jacobo Cravacorio, fratre Carmelita laico, qui non secus atque ille Vercellis jacet sepultus, instituentes, spondere, estque ex instituti nostri ratione, ut fidem, abs illis datam, hic liberemus, necesse. Etsi enim Martinus nec Fastis sacris exstet inscriptus, nec Officio ecclesiastico Vercellis aut alibi colatur, a scriptoribus tamen via non omnibus, a quibus memoratur, Beati titulo, uti Ordinis Augustiniani scriptor Thomas de Herrera, qui non pauca de illo in Alphabeto Octobris Tomus V.

Augustiniano, anno 1644 in lucem emisso, tom. 2, pag. 57 et seq. memoriæ prodit, ibidem affirmat, condecoratur. Adhæc tam a Joanne Stephano Ferrerio in diæcesis Vercellensis, quam a Josepho Pamphilo Augustiniano in Ordinis sui Beatorum Catalogo collocatur, et, quod caput est, qualicumque etiam cultu, Sanctis ac Beatis deferri solito, Vercellis gaudet, imo vero et ante annum 1634, post quem, spectatis, quæ tum juxta ac anno 1625 Urbanus VIII ea de re tulit, decretis, Servos Dei, Sanctorum Beatorumve Albo ad Ecclesia nondum adscriptos, cultu hisce proprio, nisi hoc antea centum amplius annis fuissent affecti, venerari nefas fuit, haud minori, quam quod annorum totidem metam excedit, temporis spatio non interrupte fuit gavisus, uti e jam nunc dicendis nemo non, quantum opinor, facile agnoscat.

2. Papebrochius noster in Ms. penes nos  
103 exstante,

C. B.

F



AUCTOR  
C. B.  
coli qui pos-  
sint, defini-  
entia, cultu  
qualicumque

exstante, quo suam una cum Henschenio anno 1661 Romæ moram indeque anno 1662 in Belgium reditum est complectus, *Itinerario pag. 233 sermonem de iis, quæ annorum illorum postremo vigesima sexta Maii die Vercellis conspexit seu examinavit, institvens sic scribit*: Apud Patres Augustinianos in media navi sub vili marmore corpus est B. Martini, cujus in proxima columna grandis imago ad populum concionantis cum superscripto: "In spice in Regem tuum crucifixum et consolaberis." Inferius vero: "A. .... XI Oct. hora III noctis B. Fr. Martinus de Vercellis obiit." Pendet ante eam exigua lampas, nunc sine lumine, et pauca anathemata. Eiusdem imago cum radiis similiter picta variis locis in templo atque ad unam columnarum sequens miraculum: "Quum Laurentius de Laslone Casine Strate duceret plaustrum unum lapidum Vercellas, fuit oppressus ab ipso plastro, quod viscera propria emittebat; sed, facto voto ad B. Martinum, immediate valuit mdv." *Cultus publicus, Sanctis ac Beatis proprius, ex imaginum Servorum Dei, etsi etiam hæc absque diademate ac splendoribus fuerint depictæ, in ecclesiis collocatione, ut Benedictus XIV de Servorum Dei Beatificatione ac Beatorum Canonizatione lib. 2, cap. 14, num. 3 et duobus seqq. docet, infertur.*

B  
fuisse haud  
interrupte  
gavisus pro-  
batur,

3 Quare, cum B. Martini imagines, cum radiis etiam depictæ, in Vercellensi Augustinianorum ecclesia anno 1662, ut modo recitata Papebrochii verba fidem faciunt, fuerint locatæ, fuisse illum tunc ibidem qualicumque saltem, qui Sanctis ac Beatis deferri solet, honore affectum, certum est atque indubitatum, cumque miraculum, adductis a Papebrochio verbis relatum, anno 1505, uti hæc produnt, acciderit, est sane, cur, si non jam inde ab ipsomet anno 1505, haud pluribus equidem quam decem circiter annis serius fuisse et illud uni ex ecclesie dicte columnis inscriptum et Martini in hac imagine collocatæ credantur; cum autem sic habeat, nec has inde fuisse aliquando ante annum 1634 amotas, verosimile appareat, consecrarium evadit, ut etiam ante annum istum Martinus in Vercellensi apud Augustinianos ecclesia qualicumque cultu, Sanctis ac Beatis proprio, non minori, quam quod centum annorum metam excedit, temporis spatio fuerit non interrupte gavisus, utque proinde in Opus nostrum hic, uti factum iri decessores nostri loco supra cit. promissere, debeat inferri. Id itaque, quod fieri e dictis hic debet, præstantes, undecumque, quæ de Beato memoriæ prodita inveniuntur, collecta, qualicumque ejus cultu jam probato, lectori modo hic exhibeamus.

C  
Grammaticæ  
operam dare  
jam senex

4 Alfonsus de Orozco, Ordinis Augustiniani scriptor, qui et ipse Beatorum hujus numero accensetur ac, quemadmodum Thomas de Herrera supra laudatus in *Alphabeto Augustiniano tom. I, pag. 24 et seq. docet*, anno 1592 e vivis nonagenario jam major excessit, in Ordinis sui Chronicis ad annum, quo hæc edidit, 1551 de B. Martino de Vercellis sequentem scribit in modum: Hic Religiosus divinitus potius, quam humana industria, fuit instructus. Senex erat, cum Grammaticam addiscere incepit sicque profecit, quod paucorum annorum spatio et theologus et insignis predicator evaserit. Cœnobium Papiense, in quo

D  
sacra parentis nostri Augustini pignora condita sunt, templo minante ruinam, restauravit, et quasi de novo ædificavit. Idem præstitit monasterio Mediolanensi. Ab omni populo magni æstimabatur, quia videbant signa et prodigia, quæ propter ejus merita Deus operabatur; quæ etiam et nunc ad ejus sepulcrum, ad quod plures infirmi sanitati restituntur, operatur. Excurrunt ab ejus morte quinquaginta anni. Ita ille, qui cum anno 1592, quo obiit, exstiterit e jam dictis nonagenario major ac proin haud procul a Martini, cujus mortem annis quinquaginta ante Christi annum 1551 evenisse per verba modo huc transcripta tradit, ætate abfuerit, est sane, cur in iis, quæ de illo per hæc memoriæ prodit, fidem mereri existimetur; verum, cum pleraque, quæ de Beato refert, nec notis chronicis munit, nec quidquam, e quo tempus, quo circiter acciderint, determinari queat, suppedilet, atio, quo in vel utcumque fiat, est recurrendum.

5 Thomas de Herrera Operis supra cit. tom. 2, pag. 57 de B. Martino ex Ordinis sui, ut apparet, quæ mox laudatur, *Registris* sic scribit: A Jacobo de Aquila (hunc ab anno 1470 ad annum usque 1476 generalis Prioris munere præfuisse Augustinianorum Ordini, Crusenius in *Monastico Augustiniano pag. 176 et seq. tradit*) die xvi Junii anno 1470 creatur lector honoris et die xviii Decembris anno 1471 Biblius honoris, et die xxvi Februarii anno 1473 Baccalarius honoris: et die 3 Julii anno 1474 Baccalarius formatus; hinc autem, ut consideranti patescet, consequitur, ut, quod de Beato Grammaticam primum, cum jam senex esset, discere exorso Alfonsus de Orozco per verba, num. proxime prægresso huc transcripta, memoriæ prodit, ante omnes et singulos annos, ab Herrera hic memoratos, ac proin et ante annum 1470 acciderit. Imo vero id jam inde ab anno 1465 ac forsitan aliquanto etiam citius accidisse, vel ex eo verosimile apparet, quod haud dubie, dum ad primum ex honoris gradibus, ab Herrera memoratis, anno 1470 ascendit, jam ab aliquot annis in Grammaticam incumbere incepisset. Porro, cum Beatus, Grammaticæ primum ac dein altioris ordinis scientiis operam navans, paucorum annorum spatio theologus et insignis prædicator, ut supra Alfonsus de Orozco testatur, evasisset, brevi per totam Italiam, ut Torellius de *Illustribus Ordinis Augustiniani Viris pag. 419 adjungit*, nominis ejus fama sese adeo diffudit, ut vic ibi fuerit civitas, quæ sibi eum dari sacrum præconem instantissime haud flagitarit.

6 Nec immerito sane Martinum e suggestu verba de fidei mysteriis Christianique hominis officio facientem cupidissime omnes passim audiebant. Quæ enim ad concionem dicebat, ea non modo ipse vitæ intemeratæ exemplo, sed et Dominus sequentibus signis ac miraculis, quæ ob Servi sui merita operatur, confirmabat. Hinc factum, ut ubique plane insignem animarum referens fructum, eo etiam pertigerit, ut a fidelibus adjutus, quæ collapsa essent, loca sacra instauravit. Ita fere etiam loco mox cit. laudatus Torellius; locis autem sacris, a Beato nostro instauratis, nominatim accensenda esse Papiense seu Ticinense ac Mediolanense Ordinis S. Augustini monasteria, ex Alfonsi de Orozco verbis, num. 4 recitatis, est

ante annum  
1470 exorsus  
theologus ac  
insignis concio-  
nator brevi  
evasis,

Papiense Or-  
dinis sui mo-  
nasterium an-  
no 1487 ac  
dein Mediola-  
nense instauravit,



A *est palam. Ac primum quidem e duobus illis monasteriis anno 1487, etsi nec id verbo ullo indicet is scriptor, instauratum fuisse, fidem facit Epigraphe, monasterii illius ecclesiae frontispicio inscripta sequentibusque, ut Herrera tom. 2, pag. 58 testatur, his verbis concepta: M. CCCC. LXXXVII. reparata fuit hæc ecclesia, auctore ven. fr. Martino de Vercellis, cooperantibus nobilibus DD. Joanne Antonio Baretta, et D. Renaldo Strada, quod autem ad monasterii Mediolanensis instauracionem spectat, hæc verosimiliter post Ticinensis demum instauracionem (non prius enim, quam hac narrata, ab Alfonso de Orozco refertur) contigerit, annoque proinde 1487 exstiterit posterior.*

7 *Mediolani sane Martinum ante annum 1489 degisse, imo et ibidem monasterii Augustiniani Priorem egisse, ex Herrera jam sæpius laudato colligendum apparet. Verbis enim, num. 5 cit., mox ex Ordinis sui Regist. sequentia isthæc subjungit: Anselmus de Monte Falcone (hic, Ordinis Augustiniani Prior generatis anno 1486 creatus, munus illud, uti ex Crusenii*

B *Monastico Augustiniano intelligitur, decennio circiter gessit) die xxvi Julii anno 1489 ei (Martino videlicet) præcipit Mediolani, ut relinquat vicarium in conventu et eat Papiam vel ad alium locum opportunum ad præparanda necessaria pro capitulo generali juxta ordinationem provincialis et patrum conventus Papiæ. Porro Martinus non uno, postquam Mediolanum anno 1489 reliquisset, Ordinis sui munere fuit perfunctus. Eum enim ab Anselmo de Monte Falcone, generali e dictis Ordinis Augustiniani tunc Priore, die xix Novembris anno 1490 monialium Novariensium confessorem constitutum duodecimoque Maii die anno 1492 conventui Modociensium præfectum fuisse, Herrera statim post verba proxime recitata non obscure prodit.*

8 *Etsi autem hinc etiam curis, quæ cum sacri præconis officio minus conveniebat, Beatus distineretur, haud propterea tamen huic umquam nuntium remisisse videtur. Cum enim, Bononiam sese accedere non posse, Bononiensis conventus patribus significasset, ad eum, ut ad alia loca, quæ commodius accedere sermonibusque suis illustrare posset, sese conferret, placere sibi, proxime laudatus generalis Ordinis Augustiniani Prior die xvii Januarii anno 1494 scripsit. Ita iterum, sed aliis ac, ut apparet, paulo obscurioribus verbis, loco mox cit. Herrera, statim nihilominus etiam adjungens: Crediderim tamen, adhuc Martinum vel eo anno vel sequenti Bononiæ verbum Domini disseminasse. Reperio enim in Carolo Sigonio lib. 4 de Episcopis Bononiensibus pag. 208 sodalitatem devotorum B. Mariæ consolationis in aede S. Jacobi fuisse anno 1495 per F. Bernardinum (debuisset dicere Martinum) Vercellensem institutam. Fuisse sane, quam hic Herrera memorat, sodalitatem Bononiæ a Beato nostro institutam, memoriæ etiam produnt duo adhuc alii Ordinis S. Augustini alumni, Torellius scilicet plus semel jam laudatus et in Augustiniano suo, quod anno 1654 vulgavit, Encomiastico Philippus Elssius.*

9 *Ac posterior quidem, qui Bononiæ divini Verbi semina anno 1495 sparsisse Martinum dilucide simul etiam tradit, sequentibus id verbis facit: An. 1495, cum Bononiæ (Martinus nimirum) Quadragesimam in ecclesia nostra S. Jacobi teneret, curavit depingi juxta majorem porticum ejusdem ecclesiam imaginem B. M., quam cum in summa haberet veneratione et coram ea precibus ardentibus instaret, contigit populum Bononiensem per ipsius conciones prorsus in cultum D. V. accendi. Unde cum plurimos videret indies dare nomen suum sodalitati a se instituta, constituit illius officiales et præfectos, et curavit omnium ad perpetuam memoriam fieri catalogum; titulus autem sodalitatis est S. M. de Consolatione; prior vero, etsi nec annum, quo sacrum præconem Bononiæ Martinus egerit, determinet, nec ullo etiam modo, quandam, de qua hic loquimur, sodalitatem ibique instituerit, edicat, id tamen illum, dum ibidem concionaretur, fecisse, dictamque sodalitatem, quæ et a cingulo nomen habet ac idcirco Cingulorum etiam appellatur, fuisse postea a Gregorio XIII Papa archisodalitatem, id est, reliquarum, quæ toto in mundo reperiuntur, omnium nominis ejusdem sodalitatum caput creatam, adjungit, Beatumque, quem ante et post mortem fuisse a Deo stupendis miraculis honoratum ait, vitam hanc mortalem cum immortalis anno 1503 commutasse, elogio, quo illum exornat, sic finem imponens, recte affirmat.*

10 *Nihil quidem, quo postremam hanc suam assertionem probatam det, in medium adducit; ast hac illum a vero emortuali Martini anno minus certe, quam Marquezium et Crusenium, quorum hic in suo Monastico circa annum 1300, ille in Augustiniani suis Origg. cap. 18, § xi, pag. 329 circa an. 1256 Beati obitum signat, aberrasse, non potest non unicuique esse perspicuum tum e jam dictis, tum ex eo, quod ad Martini preces Marianus Genazzanensis, qui, quemadmodum Crusenius in Onomastico Augustiniano docet, S. Augustini Ordinis Priorem generalem ab anno 1497 ad annum usque 1499 egit, favorem quemdam anno 1498 concessisse in Ordinis ejusdem Registris, teste, qui sæpius citatus est, Herrera, legatur. Adhæc jam erant, cum anno 1551 Alfonso ab Orozco Chronica sua supra cit. luce publica donaret, anni quinquaginta, uti hic ipsemet per verba, num. 4 huc transcripta, finem testatur, a Martini obitu elapsi; ut hic, si non ipsomet, cui non tantum a Torellio, sed et ab Hieronymo Romano in Centuriis et ab Elssio in Encomiastico Augustiniano innectitur, determinato anno 1503, certe circa hunc evenisse haud immerito sit credendus. Nec est, cur contrarium quis suspicetur ex eo, quod in epigraphe, Martini imagini in Vercellensi, ut Papebrochius per verba num. 2 cit. testatur, Augustinianorum templo subjecta, emortualis Beati annus delectus sit seu exesus; id enim non e sola trium aut plurium seculorum in hærente caracteribus vetustate, sed alio etiam ex capite, uti experientia constat, factum esse potest.*

AUCTORE  
C. B.  
quæ hic me-  
moratur, so-  
dalitatem

E

o vivis anno  
circiter 1305  
excessit.

F